

Konrad Olde Peter Volckmar

Disputationum Meteorologicarum Prima Quae agit De Meteoris In Genere

[Rostock]: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73013802X>

Druck Freier  Zugang



RU phil 16 55

Conrad Oldenius

Peter Volckman



DISPUTATIONUM
METEOROLOGICARUM

Prima
Quæ agit
De

METEORIS IN
GENERE

&

Cum Consensu Amplissimæ
Facultatis Philosophicæ in cele-
berrima Academia
Rostochiensis

PRÆSIDE
VIRO PRÆCLARISSIMO
M. CONRADO OLDIO

Hamburg.
RESP.

PETRO VOLCKMARO

Hamburg,
Publicæ ventilationi

Subjicietur
Ad diem 14. Julij
In auditorio majori

Typis Heredum NICOLAI KILII. Acad. Typ. Anno 1655.



VIRO

*Maximè Reverendo, Amplissimo &
Excellentissimo*

**CASPARO MAU-
RITIO, SS. Theol. Doctori**
ac Professore in Academia Rostochi-
ensi celeberrimo, Venerandæ Facultatis Theo-
logicæ DECANO Spectabili. Reverendi Ministerii
& Eccles. Rostoch. Superintendenti gravissimo, ad
D. Mariæ Pastori vigilantissimo. Dno. PRÆGEP-
TORI HOSPITI. ac PROMOTORI suo
ætatem Venerando.

III &


VIRO

Admodum Reverendo & Excellentissimo

**JOHANNI COR-
FINIO, SS. Theol. Doctori**
celeberrimo & ad D. Catharinæ in Ci-
vitate Hamburgensi Pastori vigilantissimo Meccæ-
nati ac Promotori suo ætatem
venerando.

*Hoc exercitium Academicum in grati ac devinctissimi
animi T. P. H. E. C. O. V. studiorumq. suorum
commendationem offert*

Petrus Volkmarus, Hamb.



CUM DEO!

Philosophiam quasi Theologiae studio-
so partim inutilem partim etiam noxiam audax
nonnullorum impudensq; ignorantia, dicamne an
ignavia? Calumniari non veretur. Et quamvis,
si ad recta rationis amussim eorum applicemus sen-
tentiam ejusdem monstruosas in oculos statim in-
currat, plausibilem tamen eam plurimorum socor-
dia facit, qui sic studiis suis sumptibusq; optime consultum putantes facile ei-
dem assensum prebent: Qua verò Conscientia nihilominus Theologi postea
sive nomen sive munus ambiant ipsi viderint. Rem ipsam si pensiculatorius
aliquanto consideremus tantum abesse deprehendimus, ut Philosophia studio-
so Theologiae negligenda sit, ut ejusdem Cognitio non solùm maxime ipsi con-
ducat, sed & ignorantia maxime obsit. De Apostolorum quod contra stu-
dium Philosophiae adduci solet simplicitate nihil omnino ad Rhombum facit.
Christo teste Matth. 10. vers. 20. quæ officium Apostolicum concernunt non
tam ipsi prolocuti sunt quàm Spiritus Parris eorum, qui immediato suo affla-
tu is ut omnia, sic facile etiam, quæ Philosophica ipsis profuerunt suggerere
potuit; Alia nunc temporis eorum est conditio, qui in doctrina cœlesti pro-
paganda Apostolorum sunt successores: A DEO quidem & hi instruantur ac
roborentur necesse est ad tantum munus subeundum sed mediate, per omnia
scilicet media quæ ad sinem obtinendum sunt necessaria. Inter ea verò Phi-
losophiam quoq; numerandam esse, modo quod res est, dicere quis velit, nega-
ri non potest. Ad Conceptus in sacris literis propositos distinctè & accuratè
formandos, Enunciationum valorem perspicendum, argumentorum cohe-

A

ren-

rentiam & vim observandam, ac imprimis, ut quis sit δυνατὸς ἐλέγχειν τὰς ἀντιλέγουσας, quod Apostolus in Episcopo requirit ad Tit. I. v. 9. omnino est necessaria Logicæ cognitio. Ut enim Oculus, num Corpus aliquod omnino planum sit, satis dijudicare nisi amussim applicatâ non potest, eâ verò applicatâ simul concurrunt convenientiamq; aut disconvenientiam observat notamq; facit; Sic mens nostra Mystera divina non quidem ipsa dijudicare valet, sed in quovis articulo Verbi divini norma adhibeatur necesse est, præsens tamen simul requiritur, ut observet, num hæc vel illa sententia ad normam quadret vel non; Modum verò hunc observandi ac Regulas Logicæ docet. Sed non hanc solum Apostolus L. C. in Episcopo δύναιμι requirit, verùm etiam ut sit δυνατὸς ὁμιλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς ὑγιαίνουσας. Hic verò artem Oratoriam in subsidium vocandam esse, quis non videt? Et quamcunvis Philosophiæ consideremus partem si non ad Theologiam ipsam ad Theologum tamen requiritur. Sed hæc demonstrare nostri non est propositi. Meteorologiam publicæ luci & ventilationi exhibemus, hac vice generalem, specialem eorundem considerationem Cum DEO & DIE subjuncturi. Hanc certè inter cætera que in Philosophiâ docentur ad sacrarum literarum cognitionem plurimum conferre in aprico est; Ac per consequens non solum propter se ipsam, sed & propter insignem quem in Theologia habet usum ab iis qui studio Theologico vitam operamq; suam consecrarunt nec inconvenienter, nec absque fructu tractari. Plurima profectò in sacris literis de Meteoris reperimus, quæ absque eorundem cognitione Philosophicâ satis percipi non possunt; quod in speciali eorundem consideratione suo loco patebit. Sacræ literæ enim ut ut Meteororum crebram mentionem faciunt, eorum tamen naturam cognoscendam non proponunt, sed ex iis alia observanda docent. Summa hæc ad Scripturæ sensum in iis locis ubi Meteororum mentio inspergitur rectè percipiendum eorundem Cognitionis utilitas imò & necessitas tanti mihi visa est, ut de Meteoris nonnullas disputationes conscribere operæ pretium duxerim, quarum nunc absque ulteriori præloquio (facit DFLS bono omine) initium facimus, ea que in genere de Meteoris notanda duximus proponentes.

CUM

CUM DEO!

Thesis I.

METEORA sunt effluviolorum affectiones modò in hac modò in alià formà ea repræsentes.

EXEGESIS.

§. I.

Mετέωρον Communissimum Græcis est vocabulum à præpositione μετὰ & voce ἑώρον suspendium aut elatio & exaltatio denotatq; generaliter omne id, quod sublime seu elevatum est, certum quidem aliquod subiectum vi generalis significationis complectens, nullum tamen, nisi ex ratione elevationis determinans; Ac primò quidem & propriè ex elevatione propriè sic dicta, quæ est ratione loci. Sic Hippocrati lib. 4. Aphor. 73. *ὑποχόνδρια μετέωρα* dicuntur, quæ flatu incluso intumuerunt, & in altum aguntur; Xenophontie equus μετέωρος dicitur qui posterioribus pedibus insistens prioribus se in altum erigit; Demostheni navis μετέωρος quæ in medium seu altitudinem pelagi est proventa. Secundario etiam ad animum applicatum legitur, denotatq; ejusdem vel Superbiam, utpote, quæ animos hominum inflat, & supra sublimia extollat, vel suspensionem seu dubitationem, quæ meteororum inconstantiam subitamq; ac multivariam mutationem imitetur. Sic τὸ μετέωρον ζῆλον quod vivocis generaliter est meteora imitari seu ad meteororum naturam inclinare Luc. 12. v. 29. Specialem cum meteoris convenientià in inconstantia designat. Quod enim hic dicitur μὴ μετέωρον ζῆλον idem Matth. c. 6. v. 26. per μὴ μελεμνάτε exprimitur sensus itaq; est: Non tam quam meteora inconstantes circumferamini de potu & cibo solliciti in varias abeunte curas, ut rectissime notavit beatus Quistorpius in notis biblicis L. c. In præsentis disputatione generale hoc vocabulum in genere quidem, ut habet inscriptio, physica tamen adhibita determinatione acceptum volumus; Qui significandi modus adeo jamdudum ipsi est proprius, ut communi usu per

meteoron absolutè sic dictum seu absq; annexo substantivo solum id quod Physici hoc nomine signarunt, intelligi consuerit. Et quo jure jus suum Consuetudini in hoc denegemus? Idem verò ut rectè cognoscamus, notandum 1. Per Meteoron non quodlibet naturale in sublimi collocatum intelligi, quæ enim sedem ibidem suam à primavâ creatione habent hoc nomine non veniunt; nec quodlibet ex inferiori loco elevatum, sic enim ipsa effluvia meteora dicenda essent, sed singularem tantummodo, quæ effluviis in sublimi accedit, affectionem. 2. Per Meteora non solum illa quæ in sublimi, sed & ea, quæ in intimis terræ visceribus generantur, ut metalla, lapides, terræ motus intelligi, appellationis ratione à potissimâ seu maximâ parte desumpta.

§. 2. Dicuntur aliàs etiam corpora imperfectè mixta & impressiones. Corpora quando dicuntur, respicienda sunt ipsa subjecta, quibus affectiones meteoricæ insunt, aliàs, ut in enodatione generis videbimus, quatenus meteora sunt Corpora non sunt; sunt tamen in corporibus, eademq; variè disponunt & modificant. Subjecta hæc imperfectè mixta sunt

1. Ratione numeri elementorum, ex quibus mixta sunt. Perfecta mistio omnia requirit elementa, *ἀπαντα γὰ μικτὰ σώματα, ὅσα πρὸ τῶν ἑμίσων ἴσων ἔσιν, ἐξ ἀπάντων σύγκειται τ' ἀπλῶν.* Omnia mista corpora, quæ circa locum, qui medio universi tribuitur, collocata sunt, ex simplicibus constant omnibus, docente Arist. l. 2. de gen. & Corrupt. c. 8. In meteoris verò si vel maximè aliquod eorundem omnia quatuor elementa in sese contineat, planè accidentarium illud est, quippe nec ubi vis eveniens, nec etiam in aliquo meteororum certum ac ad ejusdem naturam constituendam necessarium; Ventum solus aer, nubem, grandinem, nivem, pruina, rorem, nebulam, glaciem sola aqua constitutere potest. Ignita quæ sunt meteora, cum solus ignis, utpote elementum subtilissimum ac levisimum, simulque fortissimum impressionem aliquam vix admittat, ex pluribus quidem, ut plurimum constituuntur elementis, omnia tamen simul ad sui constitutionem non desiderant.

2. Ratione ipsius mixturæ. Mistio enim hæc ad perfectionem, quam in corporis naturalis speciebus constituendis propriam sibi habet, non pervenit. Terminus perfectæ misionis est novæ formæ inductio; Non enim in mitione sola partium fit Compositio, sed simul

mul etiam temperatura, ut rectè docet Arist. l. i. de gen. & Corrupt. c. 10.
quamvis haud rectè addat, partes, quæ miscentur, non retinere suam
naturam. Temperatura enim non necesse est, ut fiat in qualibet atomo
intrinsecè, sufficit earum vires, cum à diversis qualitatibus proximè am-
biantur, ab iisdem terminari, atq; sic ad temperaturam aliquam dispo-
ni: Inductionem scilicet novæ formæ, ejusq; si ex naturæ ipsius intentio-
ne ac ordinatione mistio peragatur, substantialis, si verò ex arte depen-
deat, accidentalis. Ad eam verò, quæ in meteoris est mistio, perfe-
ctionem non procedit, nova enim ipsis substantialis forma, quamvis
naturæ vi mistio ipsorum perficiatur, non introducitur, ut sequenti §. 4.
fusius declarabitur; Unde à Burgersdicio vix ac ne vix quidem inter
mixta corpora numeranda censentur, sic enim ille De meteoris. Hæc
cum nihil aliud sint, quam elementa impura, atq; à naturali suo statu
dejecta, vix ac ne vix quidem inter mista Corpora censi debent; Et
paulo post: Quod si quis ideo meteora inter mista corpora numeran-
da putet, quod ad eorum generationem Plura plerumque elementa
concurrunt, eum & terram & reliqua elementa nostratia mistis corpo-
ribus accensere necesse est, quod aliorum elementorum contagio & so-
cietate vitiata sint: quod à verò oppido quam longè alienum est.

3. Ratione durationis. Generatio quidem omnis in instanti fieri
dicitur, sed hoc de ultimâ perfectione est intelligendum; Forma
cum sit in partibilis indiviso temporis momento tota utiq; simul cor-
pori unitur, prævia tamen præcedat necesse est præparatio in materia
ad formam recipiendam, eaq; statuto demum naturæ tempore absolvi-
tur, & sic tandem in ultimo momento ipsa introducitur forma. Eodem
modo in corruptione natura procedit. Plenaria corruptio, quæ est for-
mæ à materiâ separatio, in instanti fit, sed antequam forma cedat, ac natu-
rale dissolvi patiatur vinculum successu temporis debelleretur necesse est;
dein enervata omnibusq; viribus à fortiori urgente exuta, in instanti, ut-
pote & ipsa impartibilis expellitur. Non idè in meteoris vel constituen-
dis vel dissolvendis evenit: Prævia illa, quæ quidem in suo genere etiam
hic datur, præparatio, non interiorem attingit formam, sed circa solam
exteriorem figuram est occupata, ad eamque recipiendam subjctam
materiam disponit; Longè itaque facilius & citius hæc præparatio ter-
minum suum assequitur, quam ea, quæ formæ substantiali introducen-
dæ viam sternit. Eademq; rursus facilitate è subjecto suo, forma me-

teorica turbatur. Cujus rei cum evidentissima sit ratio, cujus etiam modo mentionem fecimus, unico solum modo id ipsum exemplo corroborabimus. Aqua in se suaq; naturâ permanens id quod est inter decidendum, ubi ad mediam aëris regionem (hæc enim frigidissima est) pervenit, pro frigoris intensione sæpissime grandinis formam sibi imprimi patitur, brevissimo certè temporis spatio, sed haud etiam difficiliori operâ resolvitur vicissim; sæpenumerò quæ in saxa, turres domosve grandio proruit, aqua pura sub specie non eadem ab iis diffluit.

§. 3. Impressiones propriissimè dicuntur; Hæc enim ipsis appellatio non respectu subjectorum sed naturæ meteoricæ ut sic competit. Et quamvis significantius impressa dicerentur, quàm impressiones; impressio enim propriè ipsam actionem denotat, videntur tamen meteora etiam sic non incommodè dici, habito respectu ad subitanæ productionem & dissolutionem, quàm modò notavimus, ac si non tam res ipsa quam ejus solummodo impressio animadvertendam sese sisteret. Duplici verò ratione hæc appellatio meteoris convenit.

1. Ratione Principii. 2. Ratione modi. Principii quidem ratione, quod forma meteorica non ex ipsâ subjectifluat essentiâ, sed ab externâ causâ subjecto imprimatur. In meteoris quidem emphaticis, res extra omne dubium est posita; in hypostaticis verò cum grano salis vocabuli hæc ratio accipienda videtur; Et quidem vel *ως ἦν τὸ πολὺ*, si nimirum in statu effluviæ subjectam materiam consideremus, sic enim in plurimis illud quidem evenit, universale tamen non est. Exempli loco nobis sint meteora aquea: Eorum plurima v. g. Grando, Nix, Pruina, Glacies &c. nunquam hanc suam meteoricam induerent naturam, nisi ab exteriori agente ea ipsis imprimeretur; Internum enim hujus variationis principium aqua nullum habet nisi passivum. Alia tamen ros v. g. & pluvia naturæ suæ meteoricæ principium internum habent, naturale enim aquæ est ex aere inferiorem locum petere, & ex hac ipsâ naturali aquæ inferioris loci appetentiâ, ut interno Principio activo rotundam guttarum, pluvix & roris esse figuram com munis Philosophorum asserit opinio, de quâ tamen quid statuendum sit, suo loco pluribus dispiciemus; salvâ interim eâ sententiâ, *Ἐπὶ παντός* dici non potest formam meteoricam ab externo subjectis inesse Principio. Vel ut intelligantur subjecta Meteororum non ut sic, seu

seu quatenus sunt effluvia, sed ratione eorundem naturæ in statu sibi debito & per se intento relictæ; sic enim nullo modo ex iis ut principio activo forma meteorica dependet, sed, si non ex causâ planè quod ad subsistentiam etiam externa ad minimum ex accidenti, quatenus scilicet non sunt in loco sibi naturali, ipsis imprimitur. Ratione modi sic dicuntur in respectu impetuositatis, quâ impressio peragitur, militari vocabulo; quod vis caloris aut frigoris celeriter & violenter invadat exhalationes, & subitâ mutatione in iis factâ celeriter producat huiusmodi spectacula, non aliter ac delecta militum manus hostium copias ex improvise & cum impetu invadit, easq; subito terrore afficit, & non raro in arctum cogit & impellit. Hoc etenim est, impressionem facere, notante Meurero in quæst. Meteorol. de meteoris in genere explic. §. 3. mihi pag. 28. qui ibidem hanc vocis significandi rationem ex Livio, Varrone, Cicerone demonstrat.

§. 4. Genus Meteororum Affectionem statuimus. In Spirituum numerum Meteora referenda non esse, clarius est, quàm ut demonstrari deceat. Corpora si ea dicamus primo quidem intuitu veritati consonum dixisse forsitan videbimur, at si penitius rem excutiamus alia subesse ratio depræhenditur. Ut verò eò apertius, quid hac de re sentendum sit conspiciere liceat, accuratè observandum est, quomodo de natura Meteororum quæritur, quæstionem non esse de substratâ materiâ generaliter, sed de naturâ ac ratione speciali, quæ substratam materiam Meteoron facit. Ad priorem meteororum considerationem si mentis oculum deflectamus, utiq; vera corpora sese nobis offerunt, at sic effluvia consideramus non meteora, quamvis tamen & ipsa non substantiali forma sed accidentaria tantum ratione ab elementis differant, vid. Lov. lib. 1. Tract. 1. c. 7. Nec obstat, quod quædam atomi ex compositis efferuntur, hoc, quidem illis difficultatem facerent, qui permeationem Qualitatum statuunt; At nobis qui ex rei veritate quamlibet atomum suam novimus retinere essentiam non item; sed quicquid sit; De meteoris certum est, cum sub ratione ac modo distinctarum specierum concipiuntur, quod separatâ etiam & distinctâ suæ speciei determinatione sunt concipienda, ac proinde ex modo illius formæ, quæ esse meteoricum iis dat, dijudicanda. Quod verò ea non sit substantialis ac proinde peculiare corporis species constituat, hoc argumento constat:

Si

Si forma Meteorica peculiarem corporis
speciem constitueret, utiq; meteora
ab ipso DEO in primæva creatione
producta, atque in esse suo specifico
constituta essent.

Atqui falsum Posterius.

E. & Prius.

Connexio Majoris ex sese clara est. Cum enim Moses universum Creationis opus in primo Geneseos Capite accuratè describens, qua quælibet die species corporis naturalis creata sit recensendo, completumq; cap. 2. docens in præcedenti memoratum specierum esse numerum, nullam tamen in eo ordine Meteororum mentionem faciat, omnino statuendum erit, aut Mosen, qui ex instinctu & directione Spiritus Sancti ordinem hunc ac numerum corporum naturalium consignavit, nonnulla omisisse, quæ ratione propositi scopi præteriri sanè non debuerunt, quod absonum imò & blasphemum est, aut Meteora non esse peculiare corporis naturalis species. Nec exinde consequentiæ absurditas metuenda est, quasi præter DEI voluntatem aut planè ex accidente admiranda hæc Corporum forma exoriretur. Non enim sequitur, DEus non dedit Meteoris peculiare esse Specificum in ordine Corporum, E. non dedit illis esse suum quod & quale habent. Habent utiq; Meteora esse suum à DEO; Dum sic D. T. O. M. mundi hujus machinam ordinavit ac temperavit, ut diversa elementa non quælibet loco suo fixa hæerent, sed per minutissima Corpuscula, totam tamen specificæ essentiæ rationem continentia, invicem sibi permista reperiuntur. Quæ consequenter in loco alieno vel ex naturæ suæ uniformitate mutuo sese appetunt, & coeunt, numerositateq; vires seu activitates multiplicante locum suum naturalem, cui intensior seu copiosior vis ea extraxerat, secumq; abripuerat, repetunt, vel, si inimum ad alterius elementi naturalem locum, ubi illud præ cæteris dominium obtinet, penetrarint, ejus violentiam non sustinentia cum impetu aliquo terrorem sæpissimè sensibus animisq; humanis incutiente exploduntur, sicq; vi profligata domicilium sibi proprium repetunt. Ultra-

libet

libet vero ex causâ regressus procedat, cum peregrinus ipsis permixtus sit Orbis varia pro constitutione istius regionis experiri coguntur. Hinc itaq; constat r. formam Meteoricam non constituere peculiare corporis naturalis species; secundo non pro accidente aliquo prædicabili habendam. Etiam si enim ratione atomorum, quæ in effluviis reperiuntur, essentiaè absolute consideratæ forma Meteorica planè sit accidentaria, non tamen accidentaria est effluviis, ut effluviis, sic enim sunt extra naturalem terminum; Ideoq; ab aliorum qualitatibus seu Operationibus formam Meteoricam & κατ' ἐμψασιον & κατ' ἐμψασιν assumere tenentur, ipsâ rerum natura ex potestate à Creatore sibi concessâ hanc illis necessitatem imponente; quod si non esset, quomodo Regius Psaltes de igne, grandine, nive, glacie, spiritu procellarum Ps. 148. v. 8. assereret, quod verbum Domini faciant. & Ps. præcedente 147. v. 8. Deum obtegere cœlos densis nubibus, & comparare terræ pluviam.

§. 5. Gisbertus Voetius select. Disput. Theol. parte 1. de Creat. par. 4. §. 7. ad Problema; An Meteora secundo die sint producta; distinguendo respondet. Affirmans problema quod ad locum & communem materiam, exhalationes scilicet & nubes, hoc est, in proxima potentia: Actû vero quod ad accidentales formas & figuras idem negans. Verum subtilitas hæc vani loquii perquam est affinis: Quid enim est affirmare aliquid secundum talem modum, qui rem planè non afficit? Quid est, Meteora creata esse quod ad locum? Certè si sensum excutiamus, nihil aliud, nisi locum in quo meteora sunt in creatione productum fuisse. A loco vero ad rei alicujus existentiam ut argumentemur hanc necesse est assumamus Majorem *Dato loco rei datur res ipsa*. Concedi hoc quidem potest aliquadantenus & in eo sensu, quo Voetius L. c. verba sua intellecta vult, scilicet, ut aliquali respectu propter existentiam loci Meteora secundo die creata dicamus, (quamvis tamen non statim in proxima Potentia, quod addit Voetius) si locum intelligamus certæ alicui creaturæ ut ipsi proprium à DEO destinatum. At ejusmodi locum meteora non habent, sed pro ratione impressionis quemlibet sibi assumunt; si vero ab omni loco qualiscunq; tandem sit, cui res quando producitur inest, ad rei existentiam argumentando procedere velimus, eadem ratione etiam homo

B

imo

uno omnes creaturæ quatuor, postremis diebus creatæ, secundo die creatæ dici poterunt; Et æquiori quidem jure quam Meteora, Illis enim primario & principaliter, locus est destinatus; At meteoris non item; Cum enim ipsis accidentalibus solum sit forma quod ipse Voetius l. c. fatetur, affirmari rectè non potest primò ac principaliter ipsis locum esse destinatum. De Communi materia quod additur icidena nullius est momenti. Meteora enim dicuntur in respectu accidentalibus formæ quatenus in hoc esse specifico constituuntur, si vero considerantur quod ad communem materiam non considerantur ut meteora; Cum nimirum ex solâ formali specificatione meteora dicantur, nec quidquam aliud hæc denominatio inferat nisi accidens, accidentalem scilicet formam. Qui itaq; statuit Meteora quod ad communem materiam secundo die creatæ fuisse, statuit Meteora quatenus non Meteora secundo die creatæ fuisse. Ad quid vero prodest ejusmodi quæstionis distinctionem asserere, Cujus altera pars quæstionem propositam plane non concernit? si vero vel maximè vaniloquentiam, hanc non attendamus, Concedi tamen id non potest, quod nubes secundo die productas fuisse docet; Et quando Voetius l. c. Cætera meteora actu quod ad accidentales formas & figuras secundo die productas fuisse negat, falso nubes excipiendas esse asserit. Hypothesis enim illa, quam à Præceptoribus suis acceptam l. c. fovet, quod nimirum per firmamentum secundo creationis die constitutum nubes quæ meteoron sunt intelligendæ sint, falsissima est, quod suo loco cum de nubibus in specie agemus b. c. D. ostendetur.

S. 6. Patet etiam hinc, Cur Meteora determinatè effluviarum affectiones esse statuamus, quia scilicet effluviis ut sic conveniant, idq; ex ordinatione divinâ, quæ cum nullo modo absq; intentione certi alicuius finis egisse putanda sit, non alienum videtur hic inquirere, quo fine variabilem effluviarum affectionem quæ meteoron dicitur intendat. Finem hunc intentura ex effectis colligere possumus; Et sic triplicem imprimis depræhendimus. Primò Meteora Potentiam & sapientiam DEI comprobant. Potentiam juxta ac sapientiam Creatoris, quod nimirum ea, quæ sapientissimè ordinavit, potentissimè Omnipotenti verbo perfecit prima Creaturarum ex nihilo productio earundemq; vi Primæ Complacentiæ ac benedictionis continuata
 conserva-

Observatio uberrimè demonstrat; Nec leuiori tamen argumento eandem Meteororum generatio variaq; ostentatio comprobatur. Rectissime hæc de re Meurerus in quaestionibus Meteorolog. de Meteorologia in genere explicat. §. 5. pag. mihi 13. Dei potentiam tria ostendunt, Magnitudo, celeritas, & Varietas istarum actionum naturæ. Cum enim Cælum, quod clarissimum erat paulo ante, mox & repente totum nubibus obducitur, & tum fulgura, tum sonitus longo tractu terribiles diffunduntur & tandem largi imbres interturbantibus ventis misso interdum etiam fulmine effunduntur, quis non hæc omnia potentis Domini opera fateatur? Sapientiam declarant Ordo & omnium istarum rerum distributio accommodata temporibus. Siq; accuratius eam expendamus ut re ipsa sapientia divina ab inexhausta ejusdem bonitate nil quicquam differt, sic evidentissimum bonitatis diuinæ est documentum; Ut pote quæ variabilem & ferè cum ab exterioro agente ipsis imprimatur, naturæ contrariam affectionem ad Creaturarum sustentationem atq; Commoditatem dirigit. Unde non immerito pro fine impressionis meteoricæ agnoscimus, quod
Secundo Creaturis Dei in mundo sublunari profunt. De Meteoris Emphaticis non quidem illud notoriè verum est, sensibus enim eorum respectu sublunarium corporum nulla animadvertitur utilitas; quamvis tamen ratione causarum, à quibus impressio Emphatica dependet, nec ubivis de eo dubitari possit; Ejusmodi enim sæpissimè Emphaticos Meteoricæ præsto sunt causæ, quæ maximis commodis sublunaria corpora perfundunt. Et si vel maximè naturæ ut sic promovendæ ac fovendæ non conducerent, sufficit quod *πικροχρόμοιο* si non quod ad corpus, quod ad animum tamen inserviunt. Id verò vel sola Iris, cum specialis Meteororum pertractatio hujus loci non sit, suo suffragio comprobet. Hanc certè Deus misericordiæ suæ ac paterni erga nos affectus testatricem constituit, ut scilicet pluviis ingruentibus ejus intuitu animus noster confirmetur, non alterum nobis metuendum esse diluuium. De Hypostaticis verò Meteoris, si non de omnibus, de plurimis certè dubium non est, quod corporum sublunarium generationem ac salutem promoveant, integramq; conseruent. Ad corporum sublunarium generationem ac salutem ea prodelle dicimus; Ad generationem quidem, non quasi ejusdem

dem principales sint causæ, sed ut causæ accessoriæ: causarum generationis activitatem promoventes, veluti Gallina ovis insidens fovendo ea excludit, & sol calore suo animalium etiam adeo promoveat generationem, ut eorum nonnulla à solo sole generari multi etiam magni Viri putarint; Ad salutem, ea in sese conservando, & externè quæ destructionem minantur dispergendo. Non tamen id acceptum volumus, quasi ad omnia unum sufficere necesse sit; satis est utilitatis, quod conjunctis viribus ad ipsum præstare valent. Generationi potissimum inserviunt pluvix, fontes, flumina. Vel sola illa quæ ex terrâ pronascuntur contemplemur: Pluvix, fontes, flumina feminis macerationi ad ea producenda necessariæ maxime conducunt, simulq; iis nutrimentum ad secretionem præbent; Adeoq; ipsis hic finis naturalis est, ut ipse etiam Spiritus S. doceat ad irrigandum paradysum, fluvium juxta voluntatem DEI ex Eden processisse Gen. 2. v. 10. Cur verò ad irrigandum? Absq; dubio, ut eò feliciores lætioresq; arbores, stripes, ac herbæ provenirent. Fluminum hic videmus fontiumq; utilitatem; Pluviarum eandem esse ibidem v. 5. docetur. Dum enim non ex naturalibus causis, quæ nunc ad istarum productionem faciunt primas paradysi arbores, herbæq; productas fuisse, sed ex nihilo creatas Spiritus S. ex eò demonstrat, quòd Deus pluviam tum temporis nondum demiserit super terram, apertissimè videmus pluviam ab eò germinationis naturalis causam promotricem statui.

Tertio loco non negligendum hic putamus quem communis effectus Meteororum asserit, & si ex eventu judicare licet, demonstrat finem, futurorum scilicet prædictionem, iræq; divinæ annunciationem, Quidq; hac in re veritati consonum sit, quid minus paucis manifestum dabimus. Ut verò rectè quæ nostra sit sententia definire queamus omninò distinctè procedendum erit: Quædam enim earum prædictionum ex naturalibus causis dependent, quædam verò nullum in naturâ fundamentum habent. Quæ ex naturalibus causis dependent, ea prædici ex intuitione & viliarum causarum possunt. Sic Iris serenitatem ipso Deo teste annunciat; fulgur & tonitru vehementioris æstus temperaturam, aëris salubritatem lætamq; terræ faciem promittunt. Firma in ejusmodi prædictionibus subest ratio; Velenim ipsa meteora effectuum quæ ex illis prædicimus causæ sunt natura-

19
naturales, vel signa quasi causarum effectus prædictos producentium, ita ut nisi illis datis meteoron hoc constitui non potuisset. Rectissime itaq; ex hiscecausis vel immediatè prout ipsa Meteora sunt Causæ, vel mediatè prout in Meteororum productione manifestatæ sunt effectus suos inferimus. Nec id de iis solùm affirmamus, quæ ex Cognitis inferuntur causis, sed de illis etiam, quæ Causis incognitis sapius repetitæ experientiæ innituntur; quales sunt variæ prædictiones nautarum & agricolarum, qui Causas effectis non applicantes experientia edocti certiq; subsecuturos eventus ex Meteoris prædicere norunt. Ut ut enim in ejusmodi prædictionibus causæ eventuum prædictorum nesciantur, (sive possint sive non possint sciri) ex eventu tamen aliquas subesse causas colligitur; Et si vel maximè sunt absconditæ experientia nihilominus modo certa, sic, certissima rerum testis est atq; Magistra: Hoc tamen in ejusmodi prædictionibus sive ex causis sive ex experientia dependeant observandum est, necessarias quidem eas & infallibiles esse ratione, coherentiæ seu consequentiæ Causarum & Causatorum, at non item ratione ipsius Existentiæ; Vel quod Meteora non sint Causæ effectuum quos exinde colligimus solitaria, pro modulo itaq; suæ activitatis inclinare quidem possunt, necessitare verò & in effectum deducere solæ non possunt. Vel quod alia interveniant seriè effectuum interturbantia, & alia diversa prorsus nonnunquam etiam Contraria inferentia. Ratione existentiæ itaq; & ultimati actus non nisi *ως ἐπι τό πλὸν* & conditionaliter sunt formandæ.

Quæ verò prædictiones ex meteoris ex causis naturalibus non inferuntur vanæ ac nullæ sunt superstitionemq; sapiunt in simplicioribus corrigendam, in eruditis verò aliisq; qui hac in parte quodnam prædictionum suarum fundamentum habeant norunt, omninò damnandam. Ut enim rectissime ex Meteoris terrorem sensibus nostris incutientibus Potentiam vindicis dextræ Dei Omnipotentis perspicientes, ex iisdem ad peccata nostra serio deploranda commovemur, sic contra non sine superstitione Christianum nequaquam decente speciales pœnæ huic vel illi populo imminentes ex eodem principio prædicuntur.

B 3

Thesis II

Meteora sunt vel Hypostatica vel Emphatica

EXEGESIS

§. I. Meteora hypostatica illa dicuntur, quæ ratione naturæ meteoricæ veram atq; realem habent subsistentiam, ita ut eo modo effluvium realiter quodam substratam materiam sit affectum; Unde & à nonnullis vera; Cætera vero quæ Emphatica nuncupamus, apparentia dicuntur.

Meteora Emphatica sunt, quorum tota natura ἐν φάσει in apparitione consistit, quod nimirum effluviis non vera aliqua realis immutatio imprimatur, sed splendor tantum modo affulgens vel lucis variatio, quæ sepe etiam non tam effluvia ipsa, quæ exinde Meteora fiunt, quam oculum ea conspicientem afficiunt. Sic enim tam lumen minus per densius transparentis Corpus, quam aër refractionem suscipiens Colorum varias ac multiplices facit visiones, ut rectè docet Aristoteles lib. 1. Meteorol. c. 5. Nec tamen Apparentia, illa veritatem Meteoris tollit: Mirum forsitan non nemini videri posset, quo jure ea quæ emphatica Meteora seu ἐν φάσει Consistere dicuntur nihilominus pro altera Meteororum specie cum hypostaticis idem genus participante agnoscamus; sed facile omnis dubitandi ratio tollitur, si distinctionem inter illud quod apprens Meteoron & inter illud quod apprens Meteoron esse dicitur, observemus Quod apprens esse dicitur id eo ipso re vera non esse innuitur; Apprens vero non item, nisi ipsa rei natura hypostasin necessario exigat: At talis natura Meteororum non est; Hæc enim ex definitione, Excell. Dn. Sperlingii, quam in thesi prima proposuimus, nihil aliud sunt quam affectiones meteororum sub aliquâ formâ ea representantes. Affectiones vero non solum illæ sunt, quæ subiectum realiter mutant, sed quæcunq; aliquo modo id afficiunt, formalis enim earum ratio, indeterminatè in afficiendo consistit. Forma
idem

85
itidem generaliter ea requiritur per quam res representari potest; id
vero tam fit per eam quæ in *Φάσι* quam per eam quæ in *ὑποστάσει*
consistit.

§. 2. Alii aliter in divisione Meteororum procedunt. Meurerus in quæstionibus Meteorologicis in genere num. 5. Quinq; statuit meteororum genera, Lucida, ignea, aërea, aquea & terrea, videturq; in explicat. num. 5. divisionis rationem ex numero primorum Corporum simplicium deducere velle; sic enim loc. cit. ait: sicut quinq; sunt prima corpora simplicia: Cælum, ignis, aër, aqua, terra: ita faciemus quinq; species meteororum, quorum singula ad ista prima Corpora referri ob suas proprietates possunt. Verum præterquam, quod à numero Corporum simplicium ad species Meteororum planè *ἀλόγως* argumentum ducitur: nec enim immediato nexu ea cohærent, nec ullum Connexionis seu consequentiæ medium habent, ne Convenientia quidem ipsa satis rectè asseritur. Lucida Meteora ad Cælum refert cuius qualitas sensibilis ex ipsius hypothesi Lux est; Verum id quam à Veritate absit longissime & sacrae literæ & experientia clarissime ostendunt. Moses certe Gen: c. 1. lucem primâ die creatam quartaq; certò loco syderibus nimirum assignatam esse docet, cum cælum secundâ die creatum sit. Et si Lux cæli propria qualitas esset, cælum profectò eandem de sese spargeret orbemq; illuminaret; Quod ipsum cum non à Cælo, sed à syderibus fieri quotidiana experientia testetur facile patet Lucem cælo ut propriam qualitatem tribui nequaquam posse.


§. 4. Si Vel maxime modo dicta Meureri vel alia quædam divisio omnes Meteororum species accuratè complecteretur, cum omnibus divisionibus tamen *διχοπμία* præferenda sit, ut potè, qua rerum discrepantia plenius exhauritur, eandem etiam hic non rejiciendam, cum Meteororum natura eam suppeditet, omninò concludimus. Quod verò sub eâ, quam in Thesi proposuimus, ratione maxime inter sese Meteora distent, ipse Meurerus L. c. fatetur. Lucidas enim impressiones eas esse docet, quas Aristoteles *Φηλασμοί, λά κη' ἐμφασιν* nominat & simpliciter *Φάσμα*.

Φάσματα id est visa seu spectra. Etsi enim ignea videantur quædam (verba sunt Meureri) tamen non sunt ignea sed tantum ignis species, ut *φάσματα παράλια, ωδυσόληνα, ἑρῆς, αἰλῶν, εἰσίδος*

Tantum enim species quædam sunt istarum rerum, sicut imago apprens in speculo aut marmore polito aut in aquis.

Tantum de Meteoris in genere.

SOLI DEO GLORIA.




Nobilis ingenii dotes dum pandis,
Honor

Magno & fortunæ sternis amice
viam.

Omnia cœpta benigna Dei benedictio
ditet

Sitq; precor studiis prospera meta
tuis.

M. JOHAN-CHRISTOPHORUS
OTTONIS, P. P.





Ad

Per-Eximium atq; Præstantissimum
Dom. **RESPONDENTEM**
Amicum ac terraneum suum
dilectissimum.

VOLCMARE ingenio præstans & acumine
mentis,

Quem Pallas mammis nutritæ alma suis,
Quæ Sophiæ docuit primos **WESTHUSIUS**
annos,

(Cui multum in studiis debeo & ipse meis)
Excoluisse tibi placuit fundamenta, ad Albim,
Ad Varnumq; eadem Continuare placet.

Non inter sacri; scrutamina sedula verbi
Desidiæ quicquam vel minimum tribuis;
Sæpius hæc urgens vanæ suffragia plebis
Neglectum Sophiæ svadet ubiq; suis.

Sint stultis sua vota licet: Mystera prudens
VOLCMARE indagas intima Panso-
phiæ,

Adsit **JÖVARUIS** studiis eademq; secundet,
Et Felix tandem ducat ad exodium.

PRÆSES.

Ardna

Ardua sunt, fateor, VOLK MARE, & proxima
celo,

Quæis admoves vires tuas:

Sunt, inquam METEORA: Hem! quam sublimia!

Quamq;

Et lubrica & fallacia!

Sed benè Quid Muscas Aquila? aut quid fortis incre-
mem

Leonis ardor musculum?

Quid juvat in minimis herere! Ad maxima laus est

Labore progredi improbo,

Perge ita! Magna manent te premia magna paran-
tem,

Quin ipsa Phæbi laurea.

Ita præclaris ausibus popularis sui dilectiss.
votivè applaudit

L. Mq;

M. J. V. Steman,
Hamburg.



PRÆSES

Anna

icidem generaliter ea requiritur per quam res
vero tam fit per eam quæ in *Φάσει* quam per
consistit.

§. 2. Alii aliter in divisione Meteororum
statuit meteororum genera, Lucida, ignea,
rea, videturque in explicat. num. 5. divisionis
primorum Corporum simplicium deducere
cit. ait: sicut quinque sunt prima corpora simpli-
aër, aqua, terra: ita faciemus quinque species
rum singula ad ista prima Corpora referri ob
sunt. Verum præterquam, quod à numero
ad species Meteororum planè *ἀλόγως* argumenti
immediato nexu ea coherent, nec ullum Cor-
quentiæ medium habent, ne Convenientia quæ
asseritur. Lucida Meteora ad Cælum refert
lis ex ipsius hypothese Lux est; Verum id quæ
longissime & sacra litera & experientia clarissimæ
ses certè Gen: c. 1. lucem primâ die creatam
syderibus nimirum assignatam esse docet, cu-
die creatum sit. Et si Lux cæli propria quæ
perfecto eandem de sese spargeret orbemque
ipsum cum non à Cælo, sed à syderibus fieri
riâ testetur facile patet Lucem cælo ut propriam
nequaquam posse.

§. 4. Si Vel maxime modo dicta Meurer
visio omnes Meteororum species accuratè
omnibus divisionibus tamen *διχοτομία* præfer
qua rerum discrepantia plenius exhauritur, ea
rejeiciendam, eum Meteororum natura eam
concludimus. Quod verò sub eâ, quam
suimus, ratione maxime inter sese Meteora
rerus L. c. fatetur. Lucidas enim impressiones
Aristoteles *Φαίλασμα, τὰ καὶ ἐμφασιν* no-



ests; id
οἰσται
Metu-
Quinq;
& ter-
numero
n loc.
ignis,
quo-
s pos-
licium
c enim
confe-
rectè
ensibi-
absie
Mo-
loco
unda
cælum
Quod
perien-
tribui
am di-
cum
pote
c non
mainò
propo-
Meur-
t, quas
liciter
σμα